

ut liquet ex Bulla S. Pii (1), nisi obligatio aliunde oriatur, uti ex statutis, dispositione testatorum aliave speciali ratione.

IV. Si autem illi qui breviario Romano utuntur, eo tempore, quo Bulla S. Pii V data est, consuetudinem haberent, eadem in choro recitandi, obligatio adhuc manet, non tantum recitandi officium parvum B. M. V., cuius recitandi consuetudinem Bulla S. Pii V solummodo retinere et confirmare videtur (2), sed etiam officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales (3), licet quacumque ex causa, etiam ex suppressione capituli, consuetudo interrupta fuerit (4). Quinimo a Sacra Rituum Congregatione (5) declaratur, consuetudinem omittendi officium parvum B. M. V. officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales temporibus in rubricis breviarii Romani præscriptis, post Bullam S. Pii V inductam, esse abusum impræscriptibilem. Præterea non obstante rubrica breviarii, posita ante officium parvum B. M. V. a S. R. Congregatione approbatur consuetudo, in choro recitandi parvum hoc officium in dominicis et festis semiduplicibus, et etiam in duplicibus per annum (6). Licet autem adsit obligatio, eadem in choro recitandi, declaravit tamen S. R. Congregatio, extra chorum excusari, si psalmos graduales et pœnitentiales, et officia B. M. et defunctorum non recitent (7).

V. Quod si cathedralis recens erecta fuerit, et nulla igitur adsit consuetudo, non datur obligatio ista in choro recitandi, ut constat ex Bulla S. Pii V, juxta quam, ut detur obligatio, consuetudo existere debet, idque confirmavit S. R. Congregatio 14 Junii 1755 in Firmano.

VI. Hæc officia et psalmi non anticipantur in præcedentem diem, licet etiam anticipetur matutinum officii currentis, quia sunt onus diei, nisi alia adsit consuetudo (8).

(1) S. R. C. 11 Junii 1629, *Nucerina*, et 4 Sept. 1745, *Pernambucen*, ad 5; S. C. C. 28 Sept. 1754 Montis Altii; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 306, n. 120.

(2) Benedictus XIV Institut. 107, § 1; Cavalieri tom. 2, dec. 401, n. 2.

(3) S. R. C. 10 Januarii 1609, *Pacen.* et 28 Sept. 1675, *Compostellana* ad 2; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 306, n. 120.

(4) S. R. C. 22 Sept. 1827, *Alexandrina*.

(5) 20 Mart. 1660, *Nolana*.

(6) 1 Sept. 1607 *Trojan*; 22 Aug. 1818, *Hispalen*. ad 9.

(7) 10 Januarii 1609, *Pacen.* et 2 Sept. 1741, *Aquen*. ad 9; Lucidi fol. 307, n. 123.

(8) S. R. C. 2 Aug. 1603, *Lauden*. et 31 Aug. 1839, *Ordinis Minorum S. T.* ad 3.

CAPUT XXVI.

DE LOCO, TEMPORE, ORDINE ET MODO DICENDI OFFICII DIVINI
IN ECCLESIA CATHEDRALI.

§ 1. De loco, in quo dicendum est officium divinum.

I. Officium divinum a capitulo cathedrali faciendum et persolvendum est in ipsa ecclesia cathedrali (1), nisi necessitas cogat, ut in alio loco extra ecclesiam persolvatur, et adsit licentia Episcopi (2). Ipsum nomen capituli cathedralis hoc indicat. Ecclesia cathedralis capitulo propria est, adeoque ipsum capitulum officia ejus peragere et in eadem celebrare tenetur.

II. Locus ecclesiae cathedralis, in quo officium divinum persolvi debet, est chorus, sicut Concilium Tridentinum (3) præcipit his verbis: *Omnes divina compellantur obire officia; atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distinete, devoteque laudare* (4).

Hæc obligatio dicendi officium divinum in choro, est realis, et afficit capitulum: verum si capitulum non respondeat huic oneri, obligatio illa realis efficitur personalis, et principaliter obligat capituli superiorem et exinde singulos canonicos sub mortali ad celebrandas quotidie in choro divinas supplicationes (5).

Per chorum intelligitur locus apud altare, proprie dictus chorus: ita ut officium, non in superiori quodam cubiculo (6), neque in aliis capeatis, neque in sacristia per se persolvere liceat.

III. Cum gravis igitur sit obligatio, officium divinum persolvi in choro, non quælibet ratio sufficit, ad excusandum; nec Episcopus pro libito concedere potest, ut officium in sacristia per-

(1) S. C. C. 24 Januarii 1705, in *Aliphana*, lib. 55 Decretor, apud Pallottini, *Canonici*, § VII, n. 763-766; Scarfantonius lib. 2, tit. 2, n. 1.

(2) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 675.

(3) Sess. 24, cap. 12 de reform.

(4) Benedictus XIV, Institut. 107, § 4; Lucius Ferraris, *Officium divinum* art. 4, n. 28.

(5) Ita Scarfantonius lib. 2, tit. 2, n. 3-6.

(6) S. C. C. 8 Junii 1782 in *Firmano*, apud Pallottini *Canonici*, § VII, n. 760.

solvatur (1); quinimo canonici quamvis pauci sint, puta duo vel tres, officium in choro canere seu recitare tenentur (2).

Capitulum sine licentia Episcopi aliquo casu divina officia extra chorū in aliqua parte ecclesiae recitare nequit (3). Ob aliquam tamen causam, videlicet semel aut iterum, illud in sacristia recitare potest etiam sine licentia Episcopi, si ipsa licentia præsumatur (4).

Si in ecclesia detur capella vel alius locus honestus, unde populus officium audire eique assistere valet, minor causa et ratio honesta sufficere potest, ad officium ibidem persolvendum, saltem extra dies festos, quia hic locus, cum canonici ad sacra ibi celebranda conveniunt, censetur et nuncupatur chorus (5). Unde S. C. Congregatio (6) responsum dedit in casu particulari, ut canonici, arbitrio Episcopi, ob ecclesiæ insalubritatem, a die secunda Novembri usque ad sabbatum ante dominicam palmarum, extra dies festos, sacras functiones obire possint in quadam interiori capella, relicto presbyterio.

Ad officium autem dicendum in sacristia vel alio loco clauso, gravis requiritur ratio, ut vehementia frigora vel aliæ justæ causæ, propter quas Episcopus indulgere potest, ut officium, diebus festis exceptis, tunc temporis ibidem recitetur (7).

§ 2. De tempore, quo recitandum est officium divinum.

I. Statutis ab Ecclesia temporibus horæ canonice in choro persolvendæ sunt (8).

(1) S. C. Episc. in Segnina 12 Januarii 1604, apud Lucium Ferrarem *Officium divinum* art. 4, n. 28.

(2) S. C. C. in Nullius Orbetelli 31 Mart. 1696, apud Lucium Ferrarem *Canonicus*, art. 5, n. 50.

(3) Ita S. R. C. 23 Mart. 1686 *Nolana* ad 5.

(4) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 675.

(5) Bouix de capitulis p. 3, cap. 2, § 4; Scarfantonius lib. 2, tit. 2, n. 6-9.

(6) 14 Mart. 1772 in *Cingulana, Servitii chori*, apud Pallottini *Canonici* § VII, n. 759.

(7) Benedictus XIV, Instit. 107, § 4; Lucius Ferraris *Canonicus* art. V, n. 41-43 et *Officium divinum* art. IV, n. 29 et 30; Scarfantonius loco cit.; Bouix de capitulis p. 3, c. 2, § IV.

(8) Benedictus XIV, Instit. 24; primum Concilium Prov. Mechliniense 1570, tit. 4, cap. 1.

Plures (1) affirmant, in choro gravem esse obligationem, recitandi officium statim horis, tum quia canones (2) pluries repetunt, horas recitandas esse statutis horis et temporibus; tum quia talis inversio gravem involvit difformitatem: alii vero negant, quia hujusmodi circumstantia temporis non pertinet ad substantiam præcepti, sed est quædam cæremonia accidentalis. Utraque hæc opinio juxta S. Alph. de Ligorio est probabilis, sed secunda ei videtur probabilior, eo quod non constet de gravi præcepto super hac re imposito. Hæc tamen obligatio limitanda est: 1º nisi justa in aliquo casu adsit ratio, 2º nisi legitima habeatur consuetudo (3), et 3º nisi Sedes Apostolica dispensaverit (4). In aliquo casu particulari non tantum necessitas, sed justa quælibet ratio sufficere potest ad horas anticipandas vel differendas; ad earum autem tempus statutum immutandum, uti ad vesperas ante meridiem persolvendas, ad matutinum anticipandum in diem praecedentem, etc. recurrendum est ad Sedem Apostolicam, quæ justa et rationabili causa concurrente, dispensare solet.

II. Ad matutinum canendum, tempus mediæ noctis indicitur (5) in lib. III Decretal. tit. 41, de celebratione missarum can. 1, *Presbyter*: *De nocturnis vigiliis Propheta ait: Media nocte surgebam etc. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro, super iudicia justitiae suæ referamus*. Nunc autem prisca illa disciplina remissa est, et tempus matutini cum laudibus in choro dicendi, pro more ecclesiarum, assignatur ab initio crepusculi matutini ad ortum solis, sicut consuetudo et disciplina extra certas ecclesias regulares inducta est, et sicut nomen ipsum matutini clare indicat, ac auroræ mentio, quæ in laudibus incidit, rem magis comprobat (6).

In generali defunctorum commemoratione et triduo sacro majoris hebdomadæ in diem antecedentem anticipatur, ut præscribitur in cæremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 10, n. 1, et cap. 22, n. 3 et 17; extra hos autem casus in diem antecedentem anticipari

(1) Apud S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 171. Item Lucius Ferraris *Officium divinum*, art. 4, n. 19.

(2) Lib. III Decretal. tit. 41, de celebratione missarum, can. 1, *Presbyter*; Clementinum lib. III, tit. XIV, can. *Gravi*.

(3) Bouix de capitulis p. 3, cap. 2, § 5, ad 7.

(4) S. R. C. 11 Jul. 1820, *Boven*; 22 Maij 1841, *Derthonen*; Pallottini *Canonici* § VII, n. 660-757.

(5) Benedictus XIV, Instit. 107, § IV.

(6) Benedictus XIV de Syn. lib. 13, cap. IX, n. 13, et Instit. 24 et 107, §§ 4 et 14; Acta S. Sedis vol. 2, fol. 148, vol. IX, fol. 37 et seq.

nequit, etiamsi gravis adsit causa (1), nisi ex indulto Apostolico (2), aut ex consuetudine immemorabili (3), aut ex dispensatione Episcopi, qui juxta plures ex juxta causa ad actum dispensare valet (4), aut nisi quandoque vespere pridiano recitari contingat ob concionem, processionem, principis primum adventum, timorem hostium, et similia, ex quibus melius pro illa vice judicatur matutinum sic anticipare, quam mane omnia properate efficere (5); sicut etiam juxta Martinucci (6) in festo SS. Corporis Christi propter processionem pridie post vesperas et completorium recitabitur vel cantabitur matutinum cum laudibus, mane mature recitabuntur horae minores, et post eas locus erit missæ solemni.

III. Tempus horae primæ est in ortu solis seu hora prima ab ortu solis (7); tertiae, sextæ et nonæ proprie illud est tempus, quod ipsis horarum nominibus præfertur.

Vesperarum tempus juxta aliquos est hora secunda post meridiem (8), juxta alios ad solis occasum (9), et juxta S. Alph. de Ligorio (10), ut communiter traditur, est illa hora, quæ est media intra meridiem et solis occasum; estque diversa pro diversis temporibus, in æstate hora quarta post meridiem, et in hieme post secundam. In quadragesima autem vesperrum tempus est ante meridiem post nonam et missam feriale.

Tempus completorii est post solis occasum ante finem crepusculi vespertini (11).

Communius autem juxta Scarfantonum (12) diluculo persolvitur matutinum cum prima, et intervallo facto tertia, sexta et nona, simulque canitur missa, et exinde hora competenti vespere una

(1) S. R. C. 10 Januarii 1597, *Calaguritana, Miranden, et Valentina*; 13 Aug. 1667, *Majorisen*, 1; 3 Aug. 1737, *Urbevetana* 10; 13 Jul. 1754, *Pennen*, 2.

(2) Acta S. Sedis, vol. II, fol. 150; vol. IX, fol. 43.

(3) Scarfantonus lib. 2, tit. 1, n. 21; Bouix de capitulis p. 3, cap. 2, § 5.

(4) Vid. Benedictus XIV, Institut. 107, § 4; Acta S. Sedis, vol. 2, fol. 150, IV; Analecta juris Pontificii, sér. 6, 1863, fol. 2249, sér. 8, 1866, fol. 1632; Cavalieri tom. 2, dec. 297; Carli biblioth. lit. *matutinum*, dec. 2.

(5) Ita Scarfantonus loco cit.

(6) Manuale s. cæremoniarum lib. 2, cap. 35, n. 22.

(7) Benedictus XIV Institut. 107, § 4; Cavalieri tom. 2, cap. 36, n. 1; Castaldus lib. 1, sect. 3, cap. 10, n. 31.

(8) Bouix de capitulis p. 3, cap. 2, § 5, ad 6.

(9) Lucius Ferraris, *Officium div.* art. IV, n. 15.

(10) Theol. mor. lib. 4, n. 174.

(11) Benedictus XIV loco cit. Lucius Ferraris loco cit. Castaldus loco cit. n. 35.

(12) Loco cit. n. 22.

cum completorio: et juxta Devoti (1) nunc pro more ecclesiarum matutinum cum laudibus, horæque prima, tertia, sexta et nona eo temporis spatio, quod est inter auroram et meridiem, recte persolvuntur, vespere circa horam nonam aut decimam (tertiam aut quartam pomeridianam); completorium autem statim post vesperas celebratur.

Si in officio preces pro defunctis recitandæ sint, juxta rubricas dicendæ sunt post primam (2).

§ 3. De ordine servando in officio divino.

I. Ordo officii divini præscribitur lib. III Decretal. tit. 41, can. 1. *Presbyter: Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi; qui septennarius numerus a nobis impletur, si matutini, primæ, tertiae, sextæ, nonæ, vespere, et completorii tempore, nostræ servitutis officia persolvamus.*

II. Ordo recitandi horas canonicas publice in choro juxta aliquos (3) servandus est sub mortali; et juxta Bissum (4) cantare missam solemnem, nondum persoluto in choro matutino cum laudibus, imo etiam hora prima, censetur peccatum mortale, quia gravis videtur inordinatio in publico Dei cultu debitum ordinem non servare: Sancto autem Alphonso de Ligorio (5) probabilius videtur, ordinem divini officii in choro non obligare sub gravi, quia hujusmodi circumstantia non pertinet ad substantiam præcepti, est tantum quædam cæremonia accidentalis, et non constat de gravi præcepto super hac re imposito.

Extra chorū ordo servandus est sub veniali, a quo causa rationabilis excusare potest. Talis causa rationabilis, justa et sufficiens habetur, si quis sero veniat ad chorū, hora jam incepta vel etiam finita; iste licet et laudabiliter pergit cum aliis psallere, postea horam seu ejus partem omissam recitaturus: laudabilius enim est, statim cum choro psallere, et se illi conformare, quam velle prius supplere, et interim chorū vocis suæ obsequio defraudare (6).

(1) Institutionum canonic. lib. 2, tit. IV, § VI.

(2) S. R. C. 7 Ap. 1832, *Vigevanen*; 7 Dec. 1844, *Sancti Severi*, 3.

(3) Lucius Ferraris *Officium divinum* art. IV, n. 2, cum aliis.

(4) Hierurgia litt. m. num. 116, § 1.

(5) Theol. mor. lib. 4, n. 171.

(6) Ita Lucius Ferraris loco cit. n. 4 et 5 cum aliis.

III. Sicut ordo officii divini, sic etiam, et eo magis quidem, omnis chori obligatio, successive semper, et non simul adimplenda est. Unde S. R. Congregatio (1) rescripts, canonicos non satisfacere obligationi chori, recitando completorium tempore, quo a musicis vesperae decantantur; et (2) per recitationem sextae et nonæ tempore missæ conventionalis, etiam de licentia Episcopi, non satisfieri chori obligationi, quando protrahitur servitium chori ob prolixiorum missam, ob concessionem aut extraordinariam aliquam functionem.

§ 4. De modo quo officium divinum in choro fieri debet.

I. Officium divinum in choro recitandum et cantandum est studiose pariter et devote (3), reverenter distincte, devoteque (4), non præpropere, sed exacte, pauca nempe interposita, et maxima qua decet reverentia ac religione (5); haud festinanter, nulla vocabula præcidenda, paulisper voce subsistendum, ubi asteriscus interponitur (6); postremo studium in eo conferendum, ne chori pars versiculum canere incipiat, cum pars altera versiculum suum nondum absolverit (7).

Hi termini studiose, devote etc. tam internam quam externam dispositionem respicere videntur. Plures tamen censem, Ecclesiam actus internos non præcipere; et in eorum opinione modi, quibus officium fieri debet, externam tantum concernunt dispositionem. Si autem per externam dispositionem legi ecclesiasticæ satisfiat, fieri etiam potest, ut licet Ecclesiæ legi satisfiat, nullum tamen inde meritum aut præmium habeatur apud Deum, qui intuetur cor.

Quanta modi, quo officium recitandum est, sit obligatio, liquet ex c. c. Dolentes (8) ubi præcipitur in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum. quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote: item ex Con-

(1) 3 Ap. 1751, Casalen.

(2) 16 Mart. 1833, Civitatis plebis, et 19 Maii 1838 Sancti Marci et Btsinianen.

(3) Lib. III, Decretal. tit. 41, de celeb. mis. cap. IX Dolentes.

(4) Conc. Trid. sess. 34, cap. XII, de reform.

(5) Bened. XIV Const. Cum semper oblatas 19 Aug. 1744, § 23.

(6) S. R. C. 9 Julii 1864, Sancti Jacobi de Chile.

(7) Bened. XIV Instit. 107, § 15.

(8) Lib. III Decretal. loco cit.

cilio Tridentino (1) in quo præscribitur, ut canonici ecclesiarum cathedralium compellantur in choro Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. Quales modi præcipiendi et veram et gravem obligationem important.

Hinc sequitur 1º defectus notabiles contra debitam devotionem, reverentiam, etc. in choro sub gravi cavendos esse: et 2º licet minores defectus levem tantum culpam inferant, nihilominus hujusmodi defectus, si committantur in pluribus horis ejusdem diei, cum primum simul sumpti ad notabilem pervenerint quantitatem, parere peccatum mortale, quoniam moraliter uniuntur inter se, ac continuantur ad culpam, in ordine ad totum officium ejusdem diei, et reputantur quasi eodem tempore facti (2).

II. Officium igitur divinum recitandum et cantandum est 1º studiose, non obiter, nec leviter, nec oscitante, sed studio et diligentia, sicut negotium magni momenti peragitur, prout revera est officium quod divinum dicitur.

2º Devote, et igitur non dormiendo nec somno indulgendo; cum promptitudine ad genua flectenda, ad standum, ad canendum et alia id genus præstanta; cum modestia, quemadmodum illos decet maxime, qui ante conspectum Majestatis divinæ versantur (3); atque cum intentione et attentione debita (4). Intentioni formandæ et attentioni servandæ congruit oratio Aperi dicenda ante officium, quæ tamen sub officio recitando stricte non comprehenditur, cum in rubricis generalibus breviarii tit. 13-18, ubi recitanda numerantur, nulla ejus mentio habeatur.

3º Reverenter, sicut cæremoniale Episcoporum (5) præscribit, ut intra chorū nulla fiant colloquia, nec sint qui risu aliōve incomposito, seu minus modesto actu rem divinam turbent; non qui cum cæterorum scandalō dormiant; litteras aut alias scripturas legant; sed nec libros aut ipsum breviarium aut diurnum in manibus habeant ad horas aut alias orationes privatim recitandas, sed tantum ad illas una cum choro dicendas aut cantandas; ne quis gestum aliquem ab aliis differentem demonstret, ut cum alii stant, aliquis sedeat, vel genuflectat, vel e contra: sed detur opera, ut omnes uniformi ritu attente, devote et reverenter divinis mysteriis

(1) Sess. 24, cap. XII, de reform.

(2) Ita Ceccoperius lib. II, tit. VII, n. 1.

(3) Bened. XIV Instit. 107, § V.

(4) Vid. S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 176 et 177.

(5) Lib. I, c. V, n. 4.